



1. Bauer s. Chr. Frid: Diff. de gratiosa Spiritus  
3. disciplina, exitiose contempta Wittenb. 1742.
2. Baumgarten s. Sigism. Jac. Diff. de ultima  
coena Christi paschali Hald 1743.
3. ——— Diff. de conversione non instantanea,  
Hald 1743.
4. Bebelij s. Balth. Diff. de primogenitura  
ex mortuis rediivi Domini Jesu Christi  
francof. 1743.
5. Benner s. Joh. Herm. Zingendorff s. p. Catechis.  
mus. Lipsie 1744.
6. Boerner s. Chr. Frid. Diff. de Andronice  
et junia in Epist. ad Rom. XVI.  
vi. 7. Lipsie 1742.
7. Claurwitz s. Bened. Gottl. Diff. nova  
de fide in Jesum Christum  
Hald 1743.

11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18



Q. D. B. V

DISSERTATIONEM  
PHILOLOGICO - EXEGETICAM  
DE

PRIMATV PETRI FICTO

EIVSQVE PARITER  
AC S. IOHANNIS MORTE  
A CHRISTO PRAEDICTA

AD ILLVSTRANDVM IO. XXI, 15-24

PRAESIDE

CHRISTIANO SIGISMVND  
G E O R G I O


PHILOLOGIAE PROFESSORE PVBLICO

AD DIEM IVLII A. O. R. CIO IOCCXLIII

IN AVDITORIO MAIORI.

DEFENDET

IO. FRIDERICVS GREIBZIGER  
SS. THEOL. CVLTOR



VITEMBERGAE

TYPIS IO. FRIDER. SCHLOMACHI





PHILOSOPHICAE EXERCITATIONIS  
DE  
MORALI PHILOSOPHIA  
AUCTOR  
CHRISTIANO SIGISMUNDO  
GEOFFR.  
PHILOSOPHO  
AD PRAEFATIONEM  
IN ACADEMIA  
ALMA MATER  
VINDOBONENSIS  
PUBLI  
ANNO MDCLXXII



SERENISSIMO PRINCIPI  
<sup>AC</sup>  
CELSISSIMO DOMINO  
DOMINO  
IOANNI LVDOVICO  
DVCI SAXONIAE ANGRARIAE ET WESTPHALIAE  
PRINCIPI ANHALTINO COMITI ASCANIAE  
DOMINO SERVESTAE IEVERAE ET KNIPHVSII  
ORDINIS ELEPHANTINI DANICI EQVITI

RELIQVA

SERENISSIMO PRINCIPI  
<sup>AC</sup>  
CELSISSIMO DOMINO  
ET  
DOMINO  
CHRISTIANO AVGVSTO  
DVCI SAXONIAE ANGRARIAE ET WESTPHALIAE  
PRINCIPI ANHALTINO COMITI ASCANIAE  
DOMINO SERVESTAE IEVERAE ET  
KNIPHVSII

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS BORVSSIAE  
ET ELECTORIS BRANDENBVRGICI CAMPI MARESCHALLO  
MVNIMENTORVM SEDINENSIVM GVBERNATORI  
ORDINIS AQVILAE NIGRAE EQVITI

RELIQVA

PRINCIPIBVS AC DOMINIS SVIS  
CLEMENTISSIMIS  
PATRIAE PATRIBVS INDVLGENTISSIMIS  
HEROIBVS PACIS BELLIQUE STATORIBVS  
AVGVSTIS



VITAM LONGISSIMAM  
SALVTEM PERENNEM  
AC  
PROSAPIAM AETERNAM FELICISSIMAMQUE  
APPRECATVS  
HANC EXERCITATIONEM ACADEMICAM  
IN  
PIETATIS SVAE DOCUMENTVM  
ET  
SVI SVAEQVE MVSAE COMMENDATIONEM

DEI ADI. D.  
DEVOTISSIMVS ATQVE HVILLIMVS

SERVVS

IOANNES FRIDERICVS GREIBZIGER

SERVESTANVS ANHALTINVS



Quam olim traditionem, de primatu Petri monarchico, tota ignoravit purioris doctrinae antiquitas, eam nostra memoria antiquam esse tota Pontificiorum cohors uehementer propugnat, et, quem olim Romanae Ecclesiae Episcopi PELAGIVS aequae, ac GREGORIVS M. Sacerdotis Oecumenici condemnarunt titulum, eum Romanae Ecclesiae sibi uindicarunt Pontifices, huiusque abusu sese extulerunt super omnem deum, ac contra Deum deorum locuti sunt, *Dan. XI, 36, seqq. 1 Tim. IV, 1, seqq.* eo progressi audaciae, ut non tantum conciliorum decreta ac Veterum sententias, ad Petri, eiusque successorum, ut aiunt, primatum stabiliendum, defendendumque, peruerterent, sed ipsius Scripturae S. locos quoque detorquerent. Ex quibus non infimi ordinis est locus *Io. XXI, 15, seqq.* in quo sibi primatum Petri inuenisse glorientur. At sicut facile, uera huius loci exegesi in auxilium uocata, commenti fallitas apparet, ita eiusdem ope, sub auspiciis diuinis, nunc dabimus operam, ut intelligatur, Primatum Petri fictum in hoc loco sacro fundatum non esse. Qua occasione nonnulla quoque de S. Petri martyrio a Domino ipsi praedicto disseremus. Et utroque hoc momento absoluetur Sectio I, Sectio II autem nonnulla tradet, quae ad S. Iohannem, eiusque obitum, spectant. Faxit Summum Numen, ut omnia in nominis sui gloriam, et Ecclesiae utilitatem, uertant.

SECTIO I

DE

FICTO S. PETRI PRIMATV EIVSQVE MARTYRIO  
A CHRISTO PRAEDICTO

I V X T A

EVANG. II FERIAE III NATIVIT. CHRISTI

IO. XXI, 15-24, EXTANS

V E R S V S 15

Οτε οὖν ἤγειραν, λέγει τῷ Σίμωνι Πέτρω ὁ Ἰησοῦς· Σίμων Ἰωνᾶ ἀγαπᾷς με πλέον τούτων; λέγει αὐτῷ· Ναί Κύριε, σὺ οἶδας, ὅτι φιλῶ σε. λέγει αὐτῷ· Βίσκε τὰ ἀγρία μου.

Cum ergo cibum sumissent, dicit Simoni Petro Iesus. Simon Ionae diligis me plus his? Respondet ipsi. Nae Domine, tu nosti, quod diligam te. Dicit ipsi. Pasce agnos meos.

Ε Ξ Η Γ Η Σ Ι Σ

Οτε οὖν ἤγειραν, λέγει τῷ Σίμωνι Πέτρῳ ὁ Ἰησοῦς. Cum igitur, ad mare Tiberiadis Petrus, Thomas, Nathanael, alique, quibus tertia uice se Saluator iuxta *II. 1, 2, et 14, huius capituli XXI, coll. cap. XX, 19 et 26,*

A 2

mani-



manifestauerat, *cibum*, quem Dominus iuxta u. 5, 9, *seqq.* apparauerat miraculose, *sumfissent* mane, iuxta u. 4. Eo enim sensu uox ἀγιστῶν a Graecis quandoque fumitur, ut testatur facit HOMERVS, obseruante GROTIQ, ad Io. XXI, 12, scribens, ἀγιστον δὲ ἤϊ φανομένη, *cibus simul* paratus erat *aurora* *apparente*. Cum itaque edissent, dicit Iesus *Simoni Petro*, quorum alterum nomen ipsi in circumcissione, more Iudaeis consueto, alterum uero ab ipso Christo erat inditum, *Matth. XVI, 16-18, Marc. III, 16, Luc. VI, 14, Io. I, 42.*

Σίμων Ἰωάννη ἀγαπᾷς με πλείον τούτων; *Simon, Ionae* fili, ut *Matth. XVI, 17, Βᾶρ Ἰωάννη*, legitur, et Syrus atque Arabs h. l. habent. Graeci enim uocem ἰσὶν, uel τέκνον, plerumque omitunt. Deinde notetur, α) quod nonnulli codices legant, Σίμων Ἰωαννᾶ, quam lectionem Vulgatae quoque est amplexa, eamque b. LUTHERVS secutus, lectionem plurimi codices et reliquae Versiones habent Σίμων Ἰωάννη, per syncopen, quae in nominibus propriis haut raro est usitata, sic pro *Ματθαῖος*, a *Μᾶθ* donum et *ἰ* Deus *Luc. III, 25, legitur Act. I, 23, Ματθίας*. β) quod in uoce Ἰωάννη terminatio ᾶ pro οὐ adhibita sit Atticorum more, uid. *Hierocrit. N. T. P. I, p. 155, seq.* Denique quaerentibus, cur Dominus Petrum allocutus fuerit, Σίμων Ἰωάννη, non uero, *Simon Petre*, responderetur, apodictice quidem huius rei rationem reddi non posse, *Rom. XI, 34, uideri* tamen hanc fuisse, quod hoc nomine impraesentiarum indignus esset is, qui in Domini confessione non fuerat constans, nec, πέτρον instar, immobilis, sed huc illuc, arundinis instar, pulsus eum abnegauerat ter. Interim uero, quo Dominus Φιλάνθρωπος, qui non uult, ut ullus pereat, *2 Petr. III, 9, ipsum* ad cognitionem huius peccati grauissimi perduceret, et Apostolatus munus, quo semet priuauerat ipse, ipsi denuo committeret, in eoque confirmaret, blandis uerbis, lapsu in memoriam inopinanter reuocato, perficit haec omnia, humaniter eum alloquens, *Simon, Ionae* fili, *amas me plus, quam hi*, ut mihi et tibi persuadebas nuper, nimium uiribus tuis confusus, *Matth. XXVI, 33, 35, numne* etiam nunc in ea es sententia, ut tibi hanc praerogatiuam uindices, te me plus amare, quam hos commilitones tuos, qui hic tecum adsunt, aut didicisti ex lapsu tuo, quod cor humanum maxime sit fallax, *Ier. XVII, 9, nec uiribus humanis tuto* fidendum, quae admodum infirmae sunt, ut in primo statim congressu deficiant. 10. CLERICVS quidem, in *Annotat. ad Hammondum in N. T.* post alios, putat, *occasionem* quaestionis Christi proximam fuisse praeproperum *de-* *scensum Petri in mare, cum non expectare posset, donec nanis appelleret. Sta-* *tim enim ac monitus est a Iobanne, Iesum stare in ripa, illico in aquam influit* *morae impatiens, ut quam primum ad Dominum propius accederet, dum ceteri* *manserunt*



manferunt in nauicula, donec in terram exsilire possent. Hanc occasionem praebuit Petrus Christo quaerendi, an se plus amaret, quam ceteri discipuli, qui citius ad se uenisset. Verum, uti non negabimus, hoc Petri factum Christo quaerendi occasionem praebuisse, ita nemo negabit, occasionem a scopo, quem Christus ea intendebat, esse distinguendam, qui, quemadmodum ex contextu colligitur, fuit, ut Petrum, terna quaestione de amore sui, ternae sui admoneret abnegationis, et ad grauissimi huius lapsus agnitionem ac poenitentiam perduceret, nec non in Apostolatus munere, quo ter exciderat, ter confirmaret.

λέγει αὐτῷ Ναὶ Κύριε, σὺ εἶδας, ὅτι Φιλῶ σε. Respondet ipsi quam humillime Petrus, meliora nunc lapsu edoctus, nec sibi amplius blandiens, nec uiribus suis nimium confusus. *Nae Domine*, quem, ut dudum sum confessus, uera fide pro meo Domino et Deo habeo, *Matth. XVI, 16, Io. XX, 28, tu*, qui omnia nosti, *Io. II, 25*, cordium scrutator, *Act. I, 24*, et in quo πάντες οἱ θρησκυεῖς τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπέβουφοι, imo, πᾶν πλῆρωμα τῆς θεότητος κατοικῶ σωματικῶς, *Coll. II, 3, 9*, nosti hoc, antequam me interrogasti, *Io. I, 48*, quod te diligam. Non dicit, te plus diligo, quam commilitones mei. Nam agnoscebat nunc, se, qui in eo aliquando errore fuerat, *Matth. XXVI, 33*, neque aliorum corda scrutari, *1 Cor. II, 11*, neque dilectionis gradus iusto expendere posse, qui ne suum quidem cor exploratum satis habuerit, sed hoc opus esse Dei, *Ier. XI, 20, XVII, 10*. Suffecit ergo ei, aiente AVGVSTINO, in h. l. testimonium perhibere cordi suo, noluit index esse cordis alieni, qualem sibi auctoritatem arrogauerat non ita pridem, *Matth. XXVI, 33, 35*. Errant igitur, qui hanc responsionem Petri eo capiunt sensu, ac si is toti assensus fuisset interrogationi, quos recte norat THEODORVS BEZA, in h. l. scribens, *perperam haec responsio sic interpungitur, ac si toti interrogationi assentiretur Petrus, affirmans, se diligere Dominum amplius, quam sui condiscipuli diligenter, quod impudentissimi hominis fuisset. Vno igitur tenore legendus est hic locus, et particula ναὶ est affirmantis id, quod subiicitur de ipsius Christi notitia, non autem eius, qui simpliciter ei toti, de quo rogatus erat, assentiretur.*

λέγει αὐτῷ Βλέπε τὰ δεινὰ μου. Dicit ipsi Petro Iesus, cum eius amoris candorem, et quod nimiam confidentiam sui abiecerit, iuxta *Rom. XII, 3*, perspiceret, *paxte agnos meos* Scripturae floribus, ut NONNVS habet, et Sacra Coena, *Pf. XIX, 9, 11, XXIII, 2, 3, Io. VI, 51, 53, seqq. 1 Cor. XI, 23, seqq. 1 Pet. II, 2*, prout bonum pastorem deceat, *Ex. XXXIV, 12, seqq.* non lucri causa, *1 Petr. V, 2*, sed ex amore erga me, de quo me iam certiore fecisti. Sine amore enim in Christum nemo uerus pastor esse potest, nec officio recte defungi, nec aduersa fortiter ferre.



Hinc fund<sup>a</sup>mentum, cur amorem sui in Petro ante requisiverat Dominus, quam ei munus pascendi agnos suos, quod perdidit abnegatione, denuo committit. Sed quaesitum ab interpretibus, utrum *agni*, quos Dominus Petrum in hoc versu, et *oves*, quas, in versibus sequentibus, pascere iuber, idem significant, an diversos inferant significatus, et varie responsum fuit. *Alii* enim cum MALDONATO, voces illas hic promiscue usurpari, et fideles denotari quoscunque, aiunt. Adhibuisse enim Dominum, iuxta AMBROSIVM, uocem, *ἀγνία*, ad affectus teneritatem, quo erga suos sit, indicandam, et ad commonefaciendum Petrum, ut eo maiorem adhibeat curam, diligentiam, et circumspeditionem in pascendis iis, sicut pastor de agnis, ob eorum teneritatem, in primis esse sollicitus, iisque quibusvis modis prospicere, solet. At, cum in Scriptura S. agni et oves specificè sumti inuicem distinguantur, ut *Ies. XL, 11*, uidetur et hoc in loco idem statuendum. *Alii* cum LIGTHEOOTO in *Hor. Talmud.* ad h. l. forte facient, qui per *ἀγνία* gentiles, per *πρόβατα*, u. 16, Iudaeos, et u. 17, Israelitas de decem tribubus intelligit. Verum ipsi gentiles uocantur a Christo *πρόβατα Io. X, 16*, nullibi uero *ἀγνία*, deinde non *Petrus*, sed *Paulus* gentium erat Apostolus, gentium pastor, *Act. IX, 15*, *Rom. XI, 13*, *Gal. II, 2, 7, seqq.* *Alii* uero rectius arbitrantur, uoces *ἀγνία* et *πρόβατα* unius quidem coetus, sed diuersa tamen, rat. curae, denotare subiecta. Quemadmodum enim in ouium grege, alia ouium specificè dictarum ratio, respectu curae, est habenda, alia agnorum. Ita in Christianorum Ecclesia alios Christianos sese agnorum instar habere, et lacte catechetico indigere, alios uero ouium instar, quibus, in doctrina fidei prouectioribus, *βρῶμα* et *τερεῖα τροφῆ* est praebenda, ut ex S. PAVLO est discere, uid. *1 Cor. III, 2*, *Hebr. V, 14*. Atque eodem sensu hoc simile *IESAIAS* quoque usurpauit *cap. XL, 11*, *Dominus Iehoua, sicut pastor, gregem suum pascet, in brachium suum colliget agnos, et in gremio suo portabit, oves lactantes lente ducet.* Sed excipitur, *Matth. X, 16*, adhiberi uocem *πρόβατα*, *Luc. X, 3*, uero usurpari *ἀγνίας* de uno eodemque subiecto, at, responderetur, diuerso respectu. In his enim locis, uoces, *πρόβατα* et *ἀγνίας* accipiuntur de fidelibus Ecclesiae pastoribus rat. *resistentiae*, cuius respectu ouis et agni par est ratio. Sicut enim agnorum uires lupis resistendi non sufficiunt, ita nec ouium uires hic plus ualent. In loco autem *IOHANNIS* nostri *ἀγνίων* et *πρόβατων* nomine ueniunt fideles ratione *curae*, siue quatenus a pastoribus sunt pascendi. Atque, hanc curam agnos et oves pascendi esse diuersam, in antecedentibus iam iam ex sacris literis ostendimus, hinc nec promiscue adhibitas esse has uoces a Domino nostro Iesu Christo concludimus. Exposito igitur uero uerborum Domini sensu,

resta-



restaret, ut signa nunc conferremus cum Pontificiis, qui pro *primatu Petri* argumentum ex his uerbis extorquere allaborat. Sed mittamus hic ad uersus sequentes de eo acturi.

## Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι Σ

I Disce, o homo, *χρησιότητα* Dei Saluatoris nostri, qua amissas oues quaerit, *Ex. XXXIV, 11, 12, 16. Matth. XVIII, 11*, easque, non ob opera ac merita ipsorum, sed ex sola misericordia, saluas facit. *Eph. II, 8. Tit. III, 4, 5, 7.*

II Disce eiusdem *Φιλανθρωπίαν*, qua perquam blande Petrum, et inopinato, lapsus ergo conuenit. Discite uos, quibus Ecclesiae cura est commissa, quod errantes et lapsi non uehementia excipiendi, non iniuriis lacessendi, non scommatibus aggrediendi, sed mansueto Spiritu reducendi, *Gal. VI, 1, 2 Tim. II, 24. seqq.* more Iesu nostri, *Matth. XI, 29*, nec, nisi post unam alteramque admonitionem, damnandi ac fugiendi, *Matth. XVIII, 15, seqq. Tit. III, 10, 11.*

III Noli putare, Petró et reliquis eius commilitonibus hanc solum contigisse felicitatem, ut Domini essent commensales. Ea eandem tibi largitus est, tum in hac uita, gratiam Dominus, α) sacramentaliter, qui mensam tibi apparuit, ipsoque corpore et sanguine suo te nutrit accedentem, *Matth. XXVI, 26, seqq. 1 Cor. XI, 23, seqq.* Noli huius gratiae esse contemtor, sed frequens in uera fide adesto, β) spiritualiter et mystice, *Apoc. III, 20*, imo γ) in genere promisit tecum esse, *Matth. XVIII, 20, XXVIII, 20*, adeoque etiam in mensa assidente. Cibum ergo sumas, Domino inuocato, eique gratias agas, *1 Cor. X, 31*, si Dominum tuum uis habere commensalem. Tum in altera uita, *Luc. XIII, 29, Apoc. XIX, 9.* Digne igitur Domino ambulate, ut in hac et in altera uita digni eius sis commensales.

IV Qui Christum non supra omnia amat, eius Apostolus, eius discipulus, esse non potest, *Matth. X, 37, XXII, 37, 1 Io. II, 15*, coll. *Io. VIII, 42, Apoc. XII, 11.* Amemus ergo eum, qui nos prius amauit, 1 Io. IV, 19, amemus ipsum magis, quam uitam nostram, qui et nos magis amauit, quam uitam suam, *Rom. V, 8, 1 Io. III, 16.*

V Noli uiribus tuis nimium confidere, nec tibi plus, quam decet, aut quam fratri, tribuere, *Rom. XII, 3, XV, 1.* Vide enim, qui tibi stare uideris, ne cadas, *1 Cor. X, 12, Gal. V, 4, VI, 3, Hebr. IV, 11.* Recordare Petri exempli, *Matth. XXVI, 33, 35.*

VI Capiant sibi hoc pastores, quod in gregibus sibi commissis, et agnos, et oues, et hoedos habeant. Operam ergo dent, ut debitam adhibeant curam unicuique speciei conuenientem, erudiendo, docendo, corrigendo, redarguen-  
do,



do, consolando, cetera, quo idem de ipsis, quod PAULVS, 1 Cor. IX, 17-22, de se scripsit, dici possit. Reliqua, quae hic afferri potuissent, uide ad uersus sequentes.

## VERSUS 16 ET 17

- 16 Λέγει αὐτῷ πάλιν δεύτερον. Σίμων  
 Ἰωνᾶ, ἀγαπᾷς με; Λέγει αὐτῷ· Ναί  
 Κύριε σὺ οἶδας, ὅτι φιλῶ σε. Λέγει  
 αὐτῷ· Ποιμαίνε τὰ πρόβατά μου.  
 17 Λέγει αὐτῷ τὸ τρίτον· Σίμων Ἰωνᾶ,  
 φιλεῖς με; Ἐλυπήθη ὁ Πέτρος, ὅτι ἔπεν  
 αὐτῷ τὸ τρίτον, Φιλεῖς με; καὶ εἶπεν  
 αὐτῷ· Κύριε, σὺ πάντα οἶδας, σὺ γι-  
 νώσκεις, ὅτι φιλῶ σε. Λέγει αὐτῷ ὁ  
 Ἰησοῦς· Βίσκε τὰ πρόβατά μου.

Dicit ipsi rursus secundo. Simon, Ionae filii, amas me? Respondet ipsi. Nae Domine, tu nosti, quod diligam te. Dicit ipsi. Pasce oves meas. Dicit ipsi tertio. Simon, Ionae filii, diligis me? Contristatus est Petrus, quod dixit ipsi tertio, diligis me? et respondit ipsi. Domine, tu omnia nosti, tu cognoscis, quod diligam te. Dicit ipsi Iesus. Pasce oves meas.

## ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Λέγει - - τὰ πρόβατά μου. Dicit ipsi Iesus rursus secundo, Simon, Ionae filii, amas me? Bene ad haec uerba THEOPHYLACTVS, Quare Christus, qui scrutator cordium est, nihilque ignorat, interrogat? Non hoc facit, ut discat nos, sed ut doceat, et manifestet aliorum fidem, sicut et, cum interrogaret, quem dicunt homines filium hominis? indicabat, quam fidem, quamque confessionem a nobis requirat. Ita hic daturus orbi Magistros ac Doctores quales illos esse uelit, terna interrogatione bene inculcat. Interim Petrum, quia prae aliis ceciderat, maiorisque esset feruoris, et dignus, cui amplius concedatur ministerium, ter proprio nomine uocat, ut ne dubitet, remissa sibi peccata. Dixit autem Saluator primum. Diligis me plus his? postea in duabus illis interrogationibus tantum dicit. Diligis me? Quare hoc? Praetulerat se prius aliis arrogantius, dicens. Et si omnes alii scandalizati fuerint in te, ego te non negabo. Proinde desiderabatur in eo humilitas, quam nunc lapsu et poenitentia lucratum esse apparet. Amare enim se Christum fatetur, sed quod prae aliis amet, nondum dicere audet, quamuis dicere potuisset. Quod prae aliis diligam, uel ex hoc uno discere potes, quod, aliis nauigio ad te uententibus, ego impatentia desiderii in mare me misi, ut ad te uenirem. Sed de hoc tacens dicit, nae Domine, tu nosti, quod diligam te. Scire autem Christum amorem nostrum Deitatis indicium est, qui scit, an uere amemus, et melius scit, quam nos ipsi. Omnia modestae et ardentis charitatis sunt uerba. Docetur itaque, pastorem omnium Dei et Christi amore praeditum esse, et uirtutum praerogativa se



se nulla praeferre debere. Ita Christus et gregi consultit, et se diligentes remunerat, et super multa constituit, nempe super eos, pro quibus sanguinem suum effudit. Audiant Episcopi et praedicatores uerbi, quid eis commendetur. Pasce inquit, oves meas. Ministerium asser, quo tuam erga summum pastorem charitatem probes, eo si fideliter functus fueris, summum honorem assecutus es. Non facit Dominum, non Principem, non Regem, Petrum, sed pastorem esse iubet. Conf. quae ad uers. tum anteced. tum seq. sunt dicta.

Λέγει αὐτῷ τρίτον - - βόσκει τὰ πρόβατά μου. Dicit ipsi Iesus tertio. Ter enim abnegauerat Petrus, terna ergo eius requirebatur poenitentia, terna confessio, terna confirmatio Christi in Apostolatu. Et uidetur, Petrum, quamuis humilis factus lapsu, hic tamen lapsus sui non omnino memorem fuisse, aut si memor fuerit, tamen non praecuidisse, quod Christus, quaestionibus duabus prioribus de amore sui, ad eum respiceret. Nam forte idem cogitabat, quod post alios CLERICVS ad uersum anteced. Christum scilicet respicere ad illud duataxat amoris specimen, quo, ut eo citius ad Christum perueniret, se in mare coniecerat, eiusque nunc amoris praemium se accipere, cum diceret, *pasce agnos, pasce oves meas*, i. e. fide tum teneriores, tum firmiores. Sed cum tertia uice Christus quaereret, terna procul dubio abnegatio in mentem ei ueniebat, intelligebatque, quid Christus, terna quaestione de amore sui, sibi uellet, et quod lapsum eius pro scopo hic haberet. Quare ἐλυπήθη, contristatus est Petrus, quod diceret ipsi Iesus tertio, *diligis me*, abnegationis suae, et, quod tum temporis amorem uitae suae Christi amori posthabuisset, nunc memor, ideoque fortasse altera ex parte cogitabat secum, *δομινασίαν* abnegationis suae infecuturam esse, altera uero ex parte metuebat suam imbecillitatem, ne sibi, qui nunc quidem denuo confessus fuisset amorem Christi, quo flagrabat totus, idem forte accideret, quod nuper acciderat, cum cor humanum admodum sit fallax, *Ier. XVII, 9*, et homo, qui stat, facile labi queat, nec sine Deo quicquam possit, qui tum uelle, tum perficere, operetur, *Io. XV, 5*, *2 Cor. III, 5*, *Phil. II, 13*. Igitur respondet ipsi, non sicut ad quaestiones antecedentes, sed, *Domine tu omnia nosti*, ut uerus et omniscius Deus, tum praeterita, tum praesentia, tum futura contingentia, *tu cognoscis*, quae actu in homine sunt, *Io. II, 25*, et consequenter *cognoscis*, quod te actu diligam, ex toto corde et ex anima tota, *Deut. VI, 5*, *Matth. XXII, 37*, *tu cognoscis*, quod cor et os in hac confessione non dissentiant, *Matth. XV, 8*, sed consentiant, *Rom. X, 10*. Dicit ipsi Iesus, perfecta eius poenitentia, fide, amore, et candore, *βόσκει τὰ πρόβατά μου, pasce oves meas*, totius gregis istius, qui tibi committetur, siue fuerint teneriores, siue pro-

B

uectiores



uestiores fide. Et hac ratione Apostolatū, quo exciderat ipse terna abnegatione, terna uocatione, et terno mandato, ei restituit, in eoque confirmat. Ex dictis igitur factis constare putamus, quod Saluator Petro Apostolatū, quem abnegatione sui Domini, perdidit, denuo restituerit, in eoque confirmauerit, siue, ut CYRILLVS in h. l. scribit, *Quoniam ter in tempore passionis negauit, iure tunc ab eo terna dilectionis confessio petitur, ut terna negatio aequali confessionis numero compensetur*, non uero, ut Pontifici uolunt, eidem primatum Monarchicum, eiusque successoribus in Romana Ecclesia, concediderit. Nam α) quando in specie hic Petro soli conceditur munus pascendi oues, quod illi urgent, non uero reliquis Apostolis, in causa erat, quod reliqui Apostoli noua uocatione speciali et confirmatione non indigebant, quia Apostolatu sese non abdicauerant abnegatione, sicut Petrus. Interim uero idem munus pascendi oues erat ipsis iam in genere conceditum, Io. XX, 27, seqq. et posthaec denuo concedebatur, Matth. XXVIII, 19, eademque in omnes ac singulos conferebantur dona, Act. II, 4. β) Locutiones, *pascere agnos, pascere oues*, nullum inferunt primatum, ut illi uolunt, sed muneris uigilantiam et curam, nisi s. PAVLVM et Ephesinis Senioribus primatum uindicasse dixeris, Act. XX, 28, scribentem, προσέχετε ἑν ἑαυτοῖς, καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ ἡμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπιστάτους ποιμάνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, itemque s. PETRVM, qui se συμπροεβύτερον, non Episcopum Oecumenicum, uocat, 1 Epist. c. V, 1, 2, scribentem, προεβούτερος τοῦς ἐν ὑμῖν παρακαλῶ ὁ συμπροεβύτερος, - - - ποιμάνετε τὸ ἐν ὑμῖν ποιμνιον τοῦ Θεοῦ. Vnde recte GREGORIUS lib. IV, ep. 32, *Ipsi quippe dicitur, Petre amas me, pascere oues meas, et tamen uniuersalis Apostolus non uocatur*. uid. SIBRANDI de Papa Romano Replicat. lib. I, c. 6, p. m. 149. γ) Quando aiunt, Petro hic commissam fuisse uniuersae Ecclesiae curam, factum committunt, quandoquidem, *pascere oues meas*, dicit Dominus, non, *pascere oues meas uniuersas*. Vniuersae enim ipsi nunquam fuerunt commissae, sed singuli Apostoli singulos habuerunt greges hinc inde dispersos, uti disertis uerbis hoc explanauit s. PAVLVS ad Gal. c. II, 7, scribens, πεπιστεύμα τὸ Εὐαγγέλιον τῆς ἀρεθουσίας, καθὼς Πέτρος τῆς περιτομῆς, conceditum habeo Euangelium praepitii, sicut Petrus circumcissionis, et u. 9, καὶ γρόντες τὴν χάριν τὴν δοθείσαν μοι Ἰάκωβος, καὶ Κηφᾶς, καὶ Ἰωάννης, οἱ δοκούντες σῦλοι ἔσθαι, δεξιὰς ἔδωκαν ἔμοι καὶ Βαρνάβου κοινανίας, ἵνα ἡμεῖς εἰς τὰ ἔθνη, αὐτοὶ δὲ εἰς τὴν περιτομήν. Hinc PAVLVS gentium se uocat Apostolum, non Petrus, Rom. XI, 13. Quodsi ergo Romani Pontifices, primatum ad se deriuandum esse, certi essent, non a Petro, sed a Paulo deducere debebant, qui Romanorum fuit Apostolus, non Petrus, qui



qui nunquam Romae fuit Episcopus, neque ad Episcopos Romanos primatum transtulit, quem nec acceperat ipse, nec unquam sibi arrogavit, nec Veteres ipsi concesserunt. Primas quidem concesserunt ei, ratione ordinis, aetatis, et quae sunt alia, non rat. potestatis, uel primatus monarchici, quem solus tenet Christus, Ecclesiae caput, *Eph. IV, 15, 16, V, 23*, et ἀρχιποιον, *1 Petr. V, 4*. Quinimo Veteres Romanorum Episcopi hanc arrogantiam sunt detestati uel maxime, eumque, qui sibi primatum arroget, uel, se uniuersalem nomen sacerdotem, praecursorem Antichristi esse asseuerat Romanorum Episcopus GREGORIUS M. *lib. VI, Ep. 30*, scribens ad Caesarem Mauritium, *Ego fidenter dico, quisquis se uniuersalem Sacerdotem uocat, uel uocari desiderat, in elatione sua Antichristum praecurrit*. Et quanquam BELLARMINVS de Rom. Pontifice, COCCIUS in *Thesauro Cathol. T. I, lib. VII, de Hierarch. Eccl. GRETSEVS in Defens. tert. controu. Rob. Bellarmini, ADAMVS CONTZEN in Commentar. in IV Euang. ad Matth. XVI, 18, 19, Io. XXI, 15-17, BECANVS, SALMERON*, aliique plures, omnem mouerunt lapidem, et uaria, praeter locum nostrum, ex Scriptura S. Conciliis, Patribus, aliisque Doctoribus, imo ex gentiliū Philosophis, pro hac fabula, corraserunt testimonia, tamen confutata ea omnia uid. a b. GERHARDO in *Confess. cathol. lib. II, art. III, cap. I, seqq.* CALOUIO in *System. tom. VIII, c. VI, p. 353, seqq.* SEB. SCHMIDIO in libro, *Petrus non Papa*, SIBRANDO in *replicat. de Papa Rom. ad defens. tert. controu.* R. Bellarm. a Iac. Gretsero scriptam, DAN. CHAMIER in *Panstratia cathol. de Oecumen. Pontifice, lib. IX-XIV*, GVIL. WHITAKERO *Opp. theol. tom. I, p. 209, et tom. II, controu. IV, de Romano Pontifice*, CLAVD. SALMASIO de *Primatu Papae*, IO. CROCIO in *Anti-Becano tom. I, controu. IV, de Capite Ecclesiae*, aliisque pluribus.

## Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι Σ

I Cum Deus sit cordium scrutator, et cogitationum iudex, *Ier. XVII, 10*, noli tibi persuadere, ac si Deum quicquam lateat, uel tu ipsum quicquam celare possis, coram quo omnia sunt nuda et detecta, *Ezech. IIX, 12, Hebr. IV, 13*. Quare nihil facias, quod lucem fugiat, *Io. III, 20, 21*.

II Ecclesiae pastores ex amore, non ex turpi lucro, pascant oves, *2 Cor. XII, 14, Phil. II, 21, 1 Petr. V, 2, 3*, non ut suas, sed ut Domini, non suam, sed Domini, gloriam, non suum, sed Domini et ouium lucrum quaerant. Vno uerbo non se, sed oves, pascant, non id, quod ouium est, sed oves, quaerant, *2 Cor. XII, 14, Phil. II, 21*.

III En quam sollicitè Dominus de lapsis est sollicitus. Non desinit ille, donec tristitiam ad poenitentiam excitauerit, *2 Cor. VII, 8, seqq.* Discant



itaque a Salvatore V. D. M., qua patientia, qua industria, quae mansuetudine, peccatores ad poenitentiam sint reducendi, nec desperent, si semel iterumque frustra uocauerint, et adhortati fuerint, peccatorem ad poenitentiam, forte tertia uice admonitus redibit.

IV Discite in Petro, quod hominis conscientia saepe secure quiescat, nec, peccatorum suorum immemor, de iis doleat, nisi in memoriam a V. D. Ministris reuocentur. Conf. exemplum Dauidis, 2 Sam. XI, et XII. Quare pastoribus uestris, quando uos de peccatis admonent, nolite succensere, sed obristemini, quod peccastis. Reliqua, huc spectantia, uid. in προσοικ. ad u. anteced.

## VERSUS 18 ET 19

- 18 Ἀμήν, ἀμήν, λέγω σοι, ὅτε ἦς νεώτερος, ἔξωνυος σεαυτῶν, καὶ περιεπάτεις, ὅπου ἦθελες· ὅταν δὲ γηράσῃς, ἐκτενεῖς τὰς χεῖράς σου, καὶ ἄλλος σε ζώσει, καὶ 19 ἴσῃς, ὅπου αὐθίγεις. Ταῦτο δὲ ἔπει, σημαίνων, πῶς θανάτῳ δοξάσει τὸν Θεόν. Καὶ, τοῦτο εἰπὼν, λέγει αὐτῷ· ἀκολούθει μοι.
- Amen, amen, dico tibi, cum esses iunior, cingebas te ipsum, et ambulabas, quo uolebas. Quando autem senueris, extends manus tuas, et alius te cinget, et feret, quo non uis. Hoc autem dixit, significans, quali morte glorificaturus esset Deum. Deinde, hoc cum dixisset, dicit ipsi. Sequere me.

## ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Ἀμήν, ἀμήν λέγω σοι - ὅπου ἦθελες. Amen, (uid. de hac dictione, quae ad u. 32 Euangel. Aduent. II, sunt annotata,) amen, qui tuum amorem in me cognosco, atque gregis mei Pastorem et Apostolum denuo te constitui, dico tibi, quae in hoc munere tuo tibi sunt euentura, nimirum quod fides tua in me non sit destituta, neque amor tuus cessaturus, sed quod utrumque sanguine tuo sis obsignaturus, non enim, ut superiori factum est tempore in uirili aetate, abnegabis me in senectute. Nam, cum esses iunior, prout nunc uirilem aetatem agens, et mecum aliquot annos conuersans, cingebas te ipsum, quando ad negotia peragenda, uel ad iter suscipiendum te accingebas, pro more et consuetudine gentium orientis, qua tam lumbos, Exod. XII, 11, 1 Reg. XVIII, 46, 2 Reg. IV, 29, IX, 1, Iob. XL, 2, Prou. XXXI, 17, Luc. XII, 35, Act. XII, 8, cingebant, uti SYRVS uertit, cingebas lumbos tuos, quam uestimenta, 2 Sam. XX, 8, et ambulabas, uadebas, quo uolebas, tum libere et impedito, nemo te in uincula coniciebat, tum carnis et sanguinis consilia fecutus, ac uoluntati tuae relictus, ut THEOPHYLACTVS in h. l. scribit,

Et



*Et nunc quidem iunior eras, et relictus tuae voluntati, et quamvis accingeres te, quasi me secuturus, voluntatis tamen tuae impetum secutus es, quo scilicet te ducebat carnis amor. Posthaec non ita erit, nam quamvis senueris, et per aetatem minus fervido sanguine, mea tamen gratia roboratus voluntati tuae renunciaris, non quaerendo ea, quae caro docet, sed illam perdes, tua sponte protendens manus ad vincula in cruce, cum alius te cingat. Cum te ipsum cingeres, ibas in perditionem, ego autem te accingam, ut cohibita voluntatis tuae carne perles.*

Όταν δὲ γηράσῃς, ἐκτενείς τὰς χεῖράς σου, καὶ ἄλλος σε ζώσει, καὶ ἴσῃς, ὅπου οὐ θέλεις. Quando autem senueris, septuaginta enim et duos annos natus martyribus adscriptus dicitur Petrus, *extendes manus tuas*, tum coacte, respectu carnis, quae est infirma, et mortem fugit, tum sponte, respectu spiritus, quo pro gloria nominis mei ad omnia perpetiendi eris promptus paratusque, *Matth. XXVI, 41*, ac carnem, cruciatus, mortisque metum superabis, nec me denuo abnegabis, nec ad fugiendum martyrium te cinges, sed in amore erga me perseverabis, et ideo alius, carnifex scilicet, te cingat ad mortis iter ingrediendum, cum manus ad furcae cornua alligaverit, et feret, siue, *ducat* te ad crucem, (quae ueterum perpetua est sententia,) quo non nisi, respectu naturalis inclinationis, qua natura ab istiusmodi supplicis omnino abhorret, contra uero in uitae conseruationem est propensa. Anima enim, aiente CHRYSOSTOMO, inuita corpus relinquit, et, licet uoluntas constans sit ac firma, natura tamen semper imbecilla, et nemo sine dolore a corpore dissoluitur. Qua infirmitate ipse Christus tentatus, *Matth. XXVI, 39*, ut et in hac parte nobis esset similis, *Hebr. II, 17, 18, III, 15*. Hinc nemo miretur, si Petrus etiam uiolenta morte ad Christum, senex licet, peruenire noluerit. conf. b. GERHARDVS in *Harm. Euangel. p. 2220*. Praeterea digna sunt uerba b. WOLFII, quae hic afferantur, scribentis. *Verbis his, ἐκτενείς τὰς χεῖράς σου, κ. τ. λ. supplicium crucis, Petro aliquando irrogandum, significari, quod et senex sustinuerit, ostendit AMELIUS, P. I, p. 241, et ante eum ARNDIUS in Miscellaneis S. p. 148. Idem contra TREMELLIUM, hanc sententiam pro inepta temere habentem, euincens. Afferemus uerba quaedam eius ex libro minus obuiio. Ita, inquit, crucifigebantur, collum furcae intrudebatur, manus distendebantur, et ad furcae cornua deligabantur. Habes τὸ, ἐκτενείς τὰς χεῖράς σου. Ita compositi circumgestabantur per urbem, id est τὸ, ἴσῃς σε, ὅπου οὐ θέλεις. Tandem post peractam hanc misere spectabilem pompam in crucem dabantur. Qui FLAVIVM πεπλάτησε, subscribet mihi. Is MOSTELLAR. patibulum per uitam talem dixit, Φερόμενον, ὅπου οὐ θέλεις, et CARBONAR. patibulum*



feram per urbem, deinde affigat cruci. Quam sententiam et CASAVBONVS afferuit apud WALAEVM in h. l. Conf. LIPSIVS de Cruce, speciatim lib. III, cap. 1, seqq.

Τούτο δὲ ἔπε, σημαίνων, πῶς θανάτω δοξάσει τὸν Θεόν. Hoc autem dixit, significans, i. e. ut significaret, ne commilitonum aliquis de Petri constantia dubitaret, uel putaret, quem terna professus erat uice, fore talem, qualem nuper iactauerat, Matth. XXVI, 35, 60, seqq. ipseque Petrus etiam certus esset de finali sua perseverantia in fide, quali morte, siue mortis genere, glorificaturus esset Deum. Ex hac enim cognoscere, certique fieri, poterant, Petrum fore constantem μαρτυροῦσα Iesu Christi, qui nuper erat uertumnus et abnegator, quia sanguine suo fidem et testimonium suum de Christo esset obfirmaturus. Hunc itaque, AVGVSTINO in h. l. scribente, inuenit exitum ille negator et amator, praesumendo elatus, negando prostratus, flendo purgatus, confitendo probatus, patiendō coronatus. Hunc inuenit exitum, ut pro eius nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo se moriturum peruersa festinatione promiserat. Deinde, quando dicitur, quali morte, non moriturus, sed glorificaturus esset Deum, notauit recte, ex altera parte, CHRYSOSTOMVS, hoc dici ideo, ut intelligas, mori pro Christo gloriam esse et honorem, ex altera uero parte CANSTEINIUS in Harmon. bene explicauit, *Es preisete Gott nicht sowohl die Kreuzigung Petri an sich selbst, denn das war vielmehr eine schwere Sünde, und Vernechtung Gottes, daß die Ungläubigen Petrum creuzigten, und damit die Lehre von Christo, die er trieb, dahin erklärten, daß sie würdig wäre mit so schmäblichem Tode gestraft zu werden. Aber es preisete der Creuzes Tod Gott den Herrn, wegen der Beständigkeit Petri, mit welcher er dergleichen Marter auslind, und zeigte also darinnen die Kraft Gottes in sich, die ihm im Glauben und Liebe dermaßen stärckete, daß er lieber alles lüte, als Christum und seine Wahrheit verleugnete.* Adeoque efficacissime martyrio suo confirmabat Petrus ueritatem diuinam, per quam Deus honorificatur, glorificaturque. Denique notentur adhuc tria momenta, quorum est alterum, quod interpretes, si paucos exceperis, ex h. l. S. Petri crucifixionem adstruxerint quidem, sed diuersis modis, alii enim ex uerbis, ἐκτενώς τὰς χεῖρας σου, alii ex uerbis, ὄσσε σε, ἔπου οὐ θέλεις, alii aliter, eam collegerint, uide b. CALOVIUS, in Bibl. Ill. ad h. l. nos cum iis facimus, qui eam ex toto loco asseuerant. Alterum uero est, ubinam S. Petrus, fidei heros, crucifixus fuerit, Romae, an alibi? Pontificii Romae asseuerant, et quidem inuerso corpore, auctore HEGESIPPO, de excidio Hierosol. c. 2, in uerbis, Cruci adiudicatus poposcit, ut inuersis cruci uestigiis affigeretur, quod indignum se



se indicaret, qui simili modo, ut passus est Filius Dei, crucifigeretur. Cum quibus faciunt Veteres aequae, ac recentiores nonnulli. Sed cum nunquam solide demonstrari possit, Petrum, circumcisionis Apostolum, Romae uel fuisse Episcopum, uel ibi crucifixum, omnino HIERONYMI, LYRANI, aliorumque subscribimus sententiis, qui non Romae, sed Hierosolymis, uel alibi, crucifixum fuisse Petrum docent. uid. ad u. 34, *Euang. II, Fer. II, Nativ. Christi*. Conf. post eos, quos contra primatum Petri et Papae ad uersus antecedit. in fine allegauimus, b. CALOVIUS in *Bibl. ill. ad h. l.* quamuis perinde sit, num Romae an Hierosolymis, num Babyloniae an Alexandriae, uel alibi, crucifixus fuerit. Nihil certe pro primatu Petri et Papae exinde inferri posse dudum euicerunt Nostrates pariter, ac Reformati. *Tertium* est, cur Iesus Petro mortem uiolentam praedixerit, et responderetur, id factum uerosimile uideretur, α) ut Petrus, eiusque commilitones, et reliqui credentes de finali perseverantia in fide conuincerentur, nec suspicarentur, Petrum denuo, imminente periculo quodam, uel persecutione, Christum abnegaturum esse, adeoque β) ut omnis credentium in Petrum diffidentia cessaret, et γ) Petrus ipse obfirmaret animum suum, ac morti iret obuiam intrepide, morereturque, antequam moreretur, 2 *Petr. I, 14*.

Καὶ τοῦτο ἐπιπὼν, λέγει αὐτῷ Ἀκολουθεῖ μοι. Deinde, uid. *Vindiciae N. T. ab Ebraeismis*, p. 162, cum dixisset hoc, quid Petro in senectute sit euenturum, dicit ipsi. *Sequere me*. Sed eccur hoc dicit? Responderetur, fuisse hanc formulam uocationis complementum, quo Christus uocatos confirmabat in munere, eosque eo recte et indefesse defungi iubebat, quod acceperant, *Matth. IX, 9, Io. I, 43*. Cum ergo Petrus hoc uocationis suae sigillum abnegatione perdidit, solenni hac formula eius uocationem de integro confirmat, et munere pro uirili eum defungi iubet. Vnde colligere est, uocem ἀκολουθεῖ et physice, et mystice hic accipi. Vt enim illud sequi fit corpore, ita hoc fit spiritu per illud significatum. Hoc cum intelligeret Petrus, sequebatur Iesum corpore, iuxta u. seq. eoque ipso, quasi simbolo quodam, declarabat coram, se constanter spiritu quoque Iesum securum usque ad crucem, quam praesignificauerat Iesus, nec huius metu ab eo recessurum esse, uti nuper factum erat. Vnde non male THEOPHYLACTVS exponit hoc ἀκολουθεῖ, scribens. *Nunc iubeo, ut sequaris, crucifixus sum, sequaris et tu per eadem uestigia. Qualis ego pastor fui, et tu talis sis, et non solum mortem non formides, sed et laetus obeas, siquidem utilitas exposcit ouium, proinde in coena dixerat. Quo ego uado, non potes me nunc sequi, sequeris autem postea.*

ΠΡΟΣ-



## Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι Σ

I Quae sibi instarent afflictiones, et quis vitae exitus, nouerat Petrus, quae nos manent, ignorantur. Nemo interim putet, se ante mortem beatorum.

II Discas, qui in iuuentute licenter uiuis, et tibi prospere cedere omnia, uides, quod rerum sit uicissitudo, et uel in summa senectute tibi aduersa euenire possint. Viuas ergo in iuuentute ita, ut in senectute aduersa bono ac forti animo ferre possis.

III Discite mori, antequam moriaris, ne mors tibi calamitas, sed felicitas, uideatur, cui tranquillo animo occurrere queas.

IV Precare Deum, ne fides tua deficiat, quo et morte tua eum glorificare possis, nisi ut martyr, tamen ut constans in fide Christianus.

V Si saluus fieri uelis, Iesum sequaris et corpore et spiritu, et ore et corde, *Matth. X, 32, 33, Rom. X, 9, 10, Conf. de martyrio προσοικ. V et VII, ad n. 34 Euang. II Fer. II Nativ. Christi.*

## S E C T I O   I I

D E

S. IOHANNE EIVSQUE OBITU  
A DOMINO PRAEDICTO

V E R S V S   2 0

Ἐπιστραφεὶς δὲ ὁ Πέτρος βλέπει τὸν μαθητὴν, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, ἀκολουθοῦντα, ὃς καὶ ἀνέπεσεν ἐν τῷ δάπνῳ ἐπὶ τὸ σῆθος αὐτοῦ, καὶ εἶπε· Κύριε, τίς ἐστὶν ὁ παραδιδούς σε.

*Conuersus autem Petrus uidet discipulum, quem amabat Iesus, sequentem, qui etiam inclinauerat sese in coena ad pectus eius, et dixerat. Domine, quis est tradens te.*

Ε Ξ Η Γ Η Σ Ι Σ

Ἐπιστραφεὶς δὲ ὁ Πέτρος βλέπει τὸν μαθητὴν, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, ἀκολουθοῦντα, *Petrus autem Christum secutus, et in eundo conuersus, eo forte fine, ut intelligeret, utrum reliqui quoque commilitones Iesum sequerentur iniussi, uidet discipulum Iohannem, ut ex sequentibus uerbis, et u. 24, constat, quem amabat Iesus prae ceteris, ut AVGVSTINVS aliique non male concludunt, quoniam is unus in sinu Iesu recumbere habebatur dignus, Io. XIII, 23, hinc Petrus quoque, de praerogatiua eius conuictus, per eundem scitatus erat proditorem Domini, ibid. u. 24, seqq.* Deinde, cum Iesus suos amaret omnes usque ad finem, *Io. XIII, 1,* facile colligitur, hic de speciali et singulari quodam amore sermonem esse. Vtrum uero castitas, ut *CYRILLVS* putauit, an alia huius impen-




impensioris amoris, quo Iohannem complectebatur Dominus, fuerit causa, quales ex Patribus recensuit b. GERHARDVS in *Harm. Euang.* p. 1145, nos quidem later, interim tamen probabile uideatur, eam fuisse ardentiorum Iohannis amorem erga Dominum, quo reliquos commilitones superabat. Hinc, par pari retulisse Iesum, conicitur. Vt uero specialis eo magis appareret Iesu amor, quo complectebatur Iohannem, quem Petrus uidebat *sequentem*, non iniussum, uel ex curiositate adductum, sed ui uocationis, *Matth. IV.* 21, 22, quam perdidit nunquam, obstrictum, eum a circumstantiis, quae palam faciunt, qui, quantusque fuerit, describit, pergens,

ὁς καὶ ἀνέπεσεν ἐν τῷ δέπνῳ ἐπὶ τὸ σῆθος αὐτοῦ, qui etiam inclinauerat sese, minus recte, qui etiam recubuerat, ut *Vulgatus* uertit interpret. Ex *Io. XIII.* enim, u. 23 et 25 apparet, ad quem locum noster respicit locus, quod aliud sit, ἢ ἀνακείμενος, u. 23 et 28, qui recubuit, et aliud, ἐπιπεσῶν, quod h. l. per ἀνέπεσεν exprimitur, inclinans sese. Nam, cum Petrus innueret Iohanni, ut percontaretur, quis esset Iesum proditorus, u. 24, iam tum Iohannes recumbebat in sinu Iesu, u. 23, ut uero explorare, et ex ore Christi percipere, posset nomen proditoris, propius ad Christum admouit caput usque ad pectus. Atque hunc ultimum actum, h. l. *S. Iohannes* uult intellectum, utpote singularem, quem nostri loci insequentia quoque uerba comprobant, et dixit, submissa uoce, Domine, quis est proditorus te? Hinc 1) recte BEZA ad *Io. XIII.* 25. *VULGATUS*, cum recubisset supra pectus, quasi ipse discubitus Iohannis rursum significetur. At potius sic describitur Iohannis gestus propius sese Christi ori admoventis, a quo in aurem sibi indicaretur proditor. Nec enim dubium est, quin haec utrinque submissa uoce dicta sint, nec a quoquam praeterea intellecta. 2) Falso autem THEOPHYLACTVS rusticitatis Iohannem accusauit, quando ad pectus Iesu inclinauit sese, scribens, Quare Iohannes accedit ad pectus Iesu absque reuerentia et submissione? quia nihil adhuc magnum de Domino sentiebat, neque erant edocti dignum reuerentiae honorem exhibere. Piscatores enim erant, et officii imperiti. Permittit autem ei Dominus, ut recumbat super pectus moerorem eius soluens, et mitigans turbationem mentis illorum, et in summa tristitiam sopiens. 3) Falsi sunt, qui cum pictoribus errantibus sibi persuadent, ac si Dominus ἐν τῷ δέπνῳ, in Coena hac ultima, qua Sacramentum S. Coenae instituit, in sellis, uel scamnis, recubuerit medius, stipantibus latera hinc inde Apostolis, et Iohanne in sinu eius ad pectus recumbente, cum hic discumbendi ritus, qui, qualisque, ille fuerit, a Veteribus sit discendus. Illi enim, docente SALMASIO, tribus lectis, (quandoque

C  
quatuor,



quatuor, quinque, sex, et pluribus, lectis, teste CASAVBONO, prout rerum circumstantiae requirebant,) coenabant. Is, qui ad finisram erat, dicebatur summus lectus, qui ad dextram imus, inter utrumque medius. Ratio discumbendi hoc faciebat. Etenim ut liberam et exterram habere possent dexteram manum, sinistrum latus decumbebant. Et qui ordo lectorum, idem etiam fuit in singulis lectis accubantium. Summus quippe locus in unoquoque lecto, qui nullum supra se habebat, imus uero, quem infra medium accubens occupabat. Medius enim infra primum et summum, ut imus infra medium. -- Vt clarius haec in mente insinuentur, oculis etiam subiicere placuit ex delineata hac forma.



Vel Stibadio accumbabant, h. e. toto continuo ac semivotundo, quod in Sigmatis literae figuram factum erat. Unde et nomen. Vxorēs uel amicae apud Romanos semper in sinu mariti, uel amatoris, discumbere solitae, h. e. infra ipsum. Nec enim aliter potuit ex ratione discumbendi, qua in sinistrum latus iacuerunt. IUVENALIS. Et gremio iacuit noua nupta mariti, h. e. infra maritum. Quem maxime amabant, siue masculus, siue mulier, esset, eum infra se semper collocabant, i. e. in sinu ipso. Hunc locum discipulo ei dedit Dominus uoster, quem maxime diligebat. PLINIUS, coenabat Nerua cum paucis, Veiento recumbebat propius atque etiam in sinu. Nempe infra Caesarem. Siue itaque in Stibadio recubuisse Dominum cum suis Apostolis, statuas, ut musium Capuae opus a Desiderio Casinensi Abbate, qui Victor tertius postea fuit, dedicatum habet, teste PAVLO COLOMESIO *Opp. 584, edit. Fabric.* siue in lectis, ut



ut alii uolunt, uid. LIGHTFOOTVS in *Hor. Hebr. et Talmud. ad Io. XIII, 23*, et b. GERHARDVS in *Harmon. cit. p. 1142, seqq.* qui semper, more consueto, ut Dominus, primum occupauit locum, facile intelligitur, Petrum, quocumque ille recubuerit loco, Iohanni innuere potuisse. Modus uero accubitus, describente LIPSIO apud LIGHTFOOTVM, l. c. erat hic. *Iacebant reclinata superiori parte corporis in cubitum sinistrum, inferiori in longum porrecta et iacente, capite leuiter erecto, dorso puluillis modice suffulto. Et primus quidem discumbebat ad caput lecti, cuius pedes porrigebantur iuxta dorsum secundi.*

Κύριε, τίς ἐστίς ὁ παραδίδούς σε; Domine, responderet uox Κύριος nomini Dei יהוה essentiali. Hoc enim est nomen eius, *Ies. XLII, 8, Io. XIII, 13, 16*, ipsi soli, nec ulli creaturae competens, eoque sensu Moyses *Deut. VI, 4*, et S. Paulus unum nos Dominum habere aiunt, *1 Cor. VIII, 6*, qui dominorum est Dominus et Rex regum, *1 Tim. VI, 15, Apoc. XVII, 14*. Toties inde uocis יהוה recorderis, quoties de Christo uocem Κύριος legeris, et, quod hic uerus sit Deus, memento, *Io. XX, 28, Rom. IX, 5, 1 Tim. II, 5, III, 16*, conf. quae ad u. 1, seqq. *Euang. I Fer. III Natiu. Christi* sunt dicta. Quis est inter nos perfidus ille, ingratus atque infelix homo, *Pf. XLI, 10, Matth. XXVI, 24, proditurus*, (praesens pro Fut. uid. *Vindic. cit. p. 252*,) te Dominum, Creatorem, Nutritorem, ac Doctorem, inimicis tuis, Iudaeis? quo quidem scelere grauius fingi nihil potest.

## Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι Σ

I Nolite, qui Iesum sequimini, cum Petro respicere, *Luc. IX, 62*. Facile enim uos, ut Petrum, eadem carnis fraudulentae curiositas circumuenire, et cursum uestrum inhibere, potest, *Gal. V, 7*, conf. quae ad uersus seqq. dicentur.

II Noli cum Elia putare, te solum superesse, *1 Reg. XIX, 14*, coll. *Rom. XI, 3, seqq.* qui Christum sequatur, sed circumspice, et hinc illinc uidebis Iohannem quendam, qui Iesum amat et sequitur.

III Si a Christo uis diligere, Iohannis esto similis, et Dominum tuum ex toto corde ama, *Deut. VI, 4, 5, Matth. X, 37, seqq.*

IV Si tui te prodant, si beneficiarii tibi mortem moliantur, si commensales te opprimant, recordare, quod eadem Domino tuo euenerint. *Pf. XLI, 10, Io. VI, 70, XIII, 18*. Fer fata patienter. Dominus iniuriam uindicabit.



## VERSUS 21 ET 22

- 21 Τοῦτον ἰδὼν ὁ Πέτρος, λέγει τῷ Ἰησοῦ. *Hunc cum uideret Petrus, dicit Iesu.*  
 22 Κύριε, αὐτος δὲ τί; λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς. *Domine, hic autem quid? Respondet*  
 Ἐὰν αὐτὸν θεῶμαι μένειν ἕως ἔρχομαι, *ipſi Ieſu. Si ipſum uolo manere uſque*  
 τί πρὸς σέ; εὐ ἀκολουθεῖ μοι. *uenio, quid ad te? Tu ſequere me.*

## ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Τοῦτον ἰδὼν ὁ Πέτρος λέγει τῷ Ἰησοῦ. Κύριε, αὐτος δὲ τί; *Hunc Iohannem cum uideret ſequentem Petrus, dicit Ieſu curioſitate adductus. Duplici ergo modo impingit Petrus, α) quod conuerſus ad ea, quae poſt ipſum erant, nec ad ipſum attinebant, cum iuſſu Chriſti, ſine ulla mora et cunctatione, eum ſequi debuiffet, conf. ad uerſ. anteced. προσηκ. I. Hinc recte b. DIETERICVS ad b. l. P. III, Anal. Euang. p. 92, ſcribit, In Petro aliqua hic nobis notanda, ſed tamen et fugienda, uitia ueniunt, quae, ſanctos etiam, quantalibet ſanctitate polleant, nauos nihilominus ſuos habere, arguunt. I autem eſt cunctatio, quod uocantem Dominum hic illic curioſius reſpectando et tergiuerſando ſequi cunctatur. Cum ſpiritualia uocant, nulla occupationis exculatio, inquit CHRYSOSTOMVS. Sed quamprimum uox haec Domini auribus noſtris inſonat. Sequere me, citra omnem cunctationem et tergiuerſationem, quocunq; etiam Dominus uocauerit, ſequendum eſt. Fidelis enim obediens neſcit moras, fugit craftinum, ignorat tarditatem, praecipit praecipientem, parat oculos uiſui, aures auditui, linguam uoci, manus operi, itineri pedes, totum ſe colligit, ut imperantis colligat uoluntatem, BERNHARDVS. Scipio Africanus, cum in Africa bellum gereret, uiros armatos oſendit, quos ſecum habebat, et turrim praeterea excelſam in mari, et ait. Nullus horum omnium eſt, qui non, conſentia turri, ſemetipſum in mare praecipitaturus ſit, ſi ego iuſſero. Memorabile obedientiae militaris exemplum. Quanto uero magis, cum omnes nos ſimus milites Ieſu Chriſti, 2 Tim. II, 3, nec ullus noſtrum omnium eſſe debet, qui non in mare ſolum, ſed in ignes, in flammas, in ſecures, in enſes, in funes, in cruces, in beſtias, in perſecutiones, atque pericula officii quacumq; alia, ſemet ipſum praecipitaturus ſit, ſi ipſe modo uocauerit et iuſſerit? Idque circa cunctationem et tergiuerſationem omnem, cum uerus obediens non attendat, quale ſit, quod praecipitur, ſed hoc ſolo contentus, quia praecipitur. Hic qui reſpexerit, et manum ab aratro remouerit, non eſt Domino dignus, β) quod non tam ſtudioſus, quam curioſus, eſſet, dum querit. Domine, hic autem quid paſſurus eſt? ſiue, quali hic mortis genere Deum glorificabit, procul dubio et is, ſicut ego, in Martyribus numerabitur, cum eodem is fungatur munere, quo*



quo ego, conf. b. GERHARDVS in *Harm. Euang.* p. 2223. Nam haec curiosi, non studiosi, esse uerba, recte adstruxit AVGVSTINVS, inquit, *studiosus ea, quae ad se, curiosus ea, quae nihil ad se, attinent, cupide requirit*, idque ipsam Dominus indicat, quando in sequenti uersu ipsi respondet, *τί πρὸς σε; quid ad te? Sequere me.* Vnde ratio, cur in curiositatis uitium incideret, non affectus teneritatis in Iohannem, ut nonnulli inter Veteres uolunt, fuisse uideretur, sed intempestiua potius cognoscendi et praesciendi cupido, quae Iohanni essent euentura. conf. b. GERHARDVS in *Harm. Euang.* p. 2223.

λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· Ἐὰν αὐτὸν θελω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σε; σὺ ἀκολουθεῖς μοι. Respondit ipsi Iesus. Si (VVLGATVS, AMBROSIVS, AVGVSTINVS, BEDA, alii legunt sic, sed recte MALDONATVS apud BERNHARDVM LAMY in *Concord. Eu.* p. 628, Verum, ut inquit MALDONATVS, lectio uulgaris, quae in omnes fere Latinos codices peruasit, eos incredibili scriptorum negligentia contaminauit, nulla prorsus specie probabilitatis. Nam et sententia particulam conditionalem si necessario requirit, et nulla inter εἰδὼν, si, quae in omnibus Graecis legitur libris, et οὕτω, sic, est similitudo, ut suspicio ulla esse possit, interpretem nostrum unam pro altera legisse. Vera ergo lectio est, ut ex Graecis codicibus apparet, si eum uolo manere. Sed aut incuria, ut fit, notatiorum pro si coeptum est scribi sic, aut ab aliquo fortasse, qui uolebat Iohannem esse mortuum, studiose per speciem correctionis, locus corruptus est. Nam et sequens uersus, in quo uerba nostra repetit S. Iohannes, lectionem Graecam εἰδὼν, si, comprobatur, quam et HIERONYMVS, CYRILLVS, CHRYSOSTOMVS, THEOPHYLACTVS, reliqui, habent, conf. b. GERHARDVS, in *Harm. Euang.* p. 2224.) eum uolo, uel, ut alii, uellem, ego uitae et necis Dominus, manere, i. e. permanere in uita, sicut, obseruante b. WOLFIO in *b. l. ARRIANVS* quoque in *Epietet. lib. III, c. 24*, scripsit, μέχρι νῦν διὰ σέ ἐμεινον, tui causa huc usque permansi in uita. Quo sensu in *1 Cor. XV, 6*, quoque occurrit, ubi τῷ κοιμᾶσθαι, mori, opponitur, itemque *Phil. I, 25*. Donec ueniam. Quis horum uerborum sit sensus, et qualis Domini aduentus intelligendus, diuersas in sententias eunt interpretes. Alii enim inter ueteres, Christi discipulos secuti, eo acceperunt sensu, ac si Iohannes nunquam moriturus esset, sed ad extremum usque iudicium superstes foret. De qua opinione ad uers. seq. dicemus. Alii eundem quidem ad extremum iudicium aduentum, *Matth. XXV, 31*, uolunt intellectum, sed phrasin, εἰδὼν θελω, si uellem, uerunt, ut sensus sit, si uellem ipsum uiuere ad extremum iudicium usque, ad te nihil attineret. Verum, si hoc sensu acceperis, responsio Christi non uideretur interrogationi Petri respondere. Nam Petrus non quaerebat, quamdiu, et an se diutius, in uisus futurus Iohannes, sed quid ille passurus, et an uiolenta



morte interiturus, esset. *Alii* aduentum Christi ad iudicium contra populum Iudaicum, eiusque rempublicam, *Luc. XXI, 20, seqq.* urgent. De qua sententia idem esto iudicium, quod fuit de antecedenti. Cui addantur uerba b. GERHARDI, qui de ea *l. c. p. 2225*, scripsit, *Sed manifestum est, etiam hanc explicationem satis coactam esse, cum aduentus Christi in Scripturis de nouissimo eius ad iudicium aduentu fere semper intelligatur, nec ullum praesto sit exemplum, in quo de excidio Hierosolymitano haec phrasit usurpetur. Adde, quod Iohannes non solum usque ad excidium illud uitam perduxerit, sed etiam post illud uixerit, ut ex Chronologia constat. Alii* denique rectius sentiunt cum b. GERHARDO, scribente, *l. c. Beda igitur et alii hanc uerborum Christi paraphrasin tradunt. Si eum uolo manere, donec ueniam, h. e. nolo eum consummari per passionem martyrii, sed conseruabo eum usque ad decrepitam senectutem in hoc seculo, tunc ipse ueniam et placida morte absque uolentia persecutoris in regnum coeleste eum transferam. Et sane non potest concinnior interpretatio huius lectionis afferri, quae utilem et salutarem praebet doctrinam, quod Christus in morte ad nos ueniat, euocans nos ex mundi tugurio et corporis ergastulo, quo sensu etiam accipi potest suauissimum Christi dictum Io. XIV, 3. Si abiero et praeparauero uobis locum, iterum ueniam et accipiam uos ad me ipsum, ut, ubi ego sum, etiam uos sitis, (conf. *Apoc. II, 25, III, 11,*) ac Christo hac ratione ad nos uenienti occurramus uera poenitentia, piis precibus, et prompto moriendi desiderio, dicentes ex *Apoc. XXII, 20, vai ερχου Κόσμε ενσού.* LYRANVS *h. l. ex Legenda Iohannis refert, quod Christus ei apparuerit circa uitae finem, euocans eum ad gloriam. Vid. b. IO. ALBERTI FABRICII Cod. Apocryphi Tom. II, p. 581, §. XXII**

*τί πρὸς σε; εὐ ἀνολοῦθε μοι.* quid ad te, i. e. nihil ad te attinebit, si Iohannem a cruciatibus conseruauero immunem. Coniicitur itaque ex hac responsione Domini, *Petrum*, ut supra diximus, in ea fuisse sententia, Iohannem necessario quoque secum uel ad crucem, uel ad aliud quoddam uolentiae mortis genus, abduci oportere. Quare ut hanc praconceptam opinionem carnis Dominus reunderet, ipsi responderet, haec ad ipsum nihil attinere, neque sequi, si permiserit ipse corpus carnis crucifigendum, ut ideo Iohannis quoque corpus ei tradatur torquendum, cum haec a suo penderent arbitrio ac uoluntate. Et, ne tempus inutiliter rerum alienarum cura tereret Petrus, uocationis suae parum memor, denuo eam in memoriam ipsi reuocat Dominus, inquit, *in sequere me*, ut iussi, haec est officii et uocationis tuae ratio, ut studiosus sis uocationi, non alienarum rerum curiosus, ut iussorum executor strenuus, non deses cunctator, conf. ad u. 20, Προσομ. I, ut non



non impedimentis, quae caro et satanas tibi, me sequenti, obiicit, impliceris, sed eadem euites ac superes. Hoc autem fiet, si *τὸ sequi me*, unicus cursus tui erit scopus, isque debita, non interrupta, animi promptitudine abs te absoluetur.

## Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι Σ

I Disce in Petro, quam periculosum sit vitium istud commune, intempestiva curiositas, ab officio et uocatione tua te reuocans. Conf. *ad u. 20, προσοικ.* I. O fuge hanc perniciem, et cura, quae ad te, non uero, quae ad te nihil, attinent.

II Memento, si tibi male, commilitoni bene, sit, si te insontem supplicii ac cruciatibus diuexatum priuent uita, commilito uero placide e uiuis discedit, quod haec omnia a decreto diuinae sapientiae imperferutabilis pendeant in tuam utilitatem, *Rom. VIII, 28, XI, 33, seq.* Noli igitur curiosae iudicia Dei ximari, sed gaude, quod cum Christo patiaris, *1 Petr. IV, 13, seq.*

III Disce, quam fallax sit caro nostra, *Ier. XVII, 9*, uix Petrus in rectum tramitem a Domino erat perductus, et iustus, ut, quae Domini essent, curaret, ueruntamen praeter expectationem ad aliena recurrit. Noli hanc Petro infirmitatem exprobrare, sed caue, ne in eodem incidas scopulos.

IV Si Iesum, more Iohannis, amaueris, is quoque tentationis horam auerter, *Apoc. III, 10*, teque uenturus eripiet ab omni malo, *2 Tim. IV, 18*.

## V E R S V S 23

Ἐξῆλθεν οὖν ὁ λόγος οὗτος εἰς τοὺς ἀδελφοὺς, ὅτι ὁ μαθητὴς ἐκεῖνος οὐκ ἀποθνήσκει. Καὶ οὐκ εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, ὅτι οὐκ ἀποθνήσκει, ἀλλ', ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σέ;

*Exiit igitur sermo hic inter fratres, quod discipulus ille non moriatur. Quanquam non dixerat ipsi Iesus, quod non moritur, sed, si ipsum uolo manere donec ueniam, quid ad te?*

## Ε Ξ Η Γ Η Σ Ι Σ

Ἐξῆλθεν οὖν ὁ λόγος οὗτος εἰς τοὺς ἀδελφοὺς, ὅτι ὁ μαθητὴς ἐκεῖνος οὐκ ἀποθνήσκει. *Exiit igitur sermo hic, uel, ut alii uertunt, fama haec, (uid. de hac phrasi in Vindictis N. T. p. 356,) inter fratres, qui ex eodem uerbo ueritatis erant geniti, 1 Petr. I, 23, Iac. I, 18, et fidei in Christum participes facti, 2 Petr. I, 1. Eo enim respectu omnes credentes sunt fratres, Matth. XXIII, 8, iique, siue nobilioris, siue sequioris, fuerint sexus, hoc nomine saluantur. Sicut enim in notione propria ἀδελφὸς utrumque sexum notat, siue eos, qui ἐκ τῆς αὐτῆς δελφῶς γεγονότες, ex eadem matrice nati sunt, ita eadem*



dem notio in sensu improprio obtinuit locum, quia nos omnes uno eodemque modo regeneramur. Conf. de uoce ἀδελφός plura, in *Vindic. cit. p. 24, seq.* Inter hos igitur credentes exiit sermo hic, quod discipulus iste Iohannes non moriturus esset. Assertiue enim capiebant, quae Dominus dixerat hypothetice, ut in sequentibus uerbis errorem ostendit Iohannes ipse, pergens,

Καὶ οὐκ εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, ὅτι οὐκ ἀποθνήσκει, ἀλλ', ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σε; *Quaquam* (uid. *Vind. cit. p. 167,*) non dixerat ipse Iesus, assertiue, quod non moriturus esset, (Praesens pro Futuro uid. *Vindic. p. 252, seqq.*) sed hoc dixerat, si ipsum uelim, uel uellem, manere donec ueniam, quid ad te? Apposite certe ad h. l. b. DIETERICVS l. c. p. 94, Nihil tam bene dici posse, quin in sinistrum id ipsum sensum a rerum imperitiis trahatur, exemplum praesens Apostolorum testatur. Dixerat Dominus, si uelim illum manere donec ueniam, quid ad te? Inde exiit sermo inter fratres, discipulum hunc sic mansurum, i. e. non moriturum. Ita facilis est in diuinis, non genuino Christi uerborum intellectu attento, in errorem prolapsus. Id quod pluribus exemplis illustrat b. uir. Sed quo faciliorem in errores esse prolapsum intelleximus, eo difficiliorem ex iisdem esse regressum, eodem errore, a fidelibus aliquando admissio, conuincimur. Nam ad posteros quoque hic error, Iohannem non fuisse mortuum, propagatus fuit, quorum alii uinum Iohannem, sunt uerba b. DIETERICI, p. 95, in *Paradisum cum Henoch et Elia translatum, ac circa aduentum Domini, cum illis ad praedicandum Christum reuersurum, et ab Antichristo occidendum cum illis esse, tradunt.* In qua sententia est Theophylactus et Gregorius Trapezuntius, qui peculiarem hac de re libellum ad Pontificem edidit. His si obiicitur monumentum Iohannis, quod Ephebi ostenditur, respondet Theophylactus, uiuentem quidem Iohannem in illud ingressum esse, et deinde, sicut Enoch et Helias, translatum. Si illud obiicitur. Et non dixit Iesus, non moritur, cet. respondet idem, quamuis non fuerit mortuus, morietur tamen, occisus intellige ab antichristo - - Alii referent Augustino in h. l. Iohannem in sepulchro suo adhuc uiuum iacere et dormire ad nouissimum diem putant, assumentes in argumentum, quod illic terra sensim scateret, quae uerba sunt Augustini, et quasi ebullire, atque hoc eius anhelitu fieri, perhibetur. Ita quidem breui retulit b. DIETERICVS Veterum quorundam hypotheses falsas, in eo tamen errauit beatus uir, quod THEOPHYLACTVM fecerit falsae hypotheseos prioris patronum, cum tamen is hanc falsam duntaxat hypothesin recensuerit, non uero suam fecerit. Ipse enim cum CHRYSOSTOMO facit, et Iohannem obiisse, statuit. Vide eum ad h. l. Ceterum et TERTULLIANVS in libro de anima recte scripsit, obiit et Iohannes, quem in aduentum Domini

mini



*mini remansurum frustra, alii legunt, falsa, fuerat spes, et HIERONYMVS in Catal. Viror. III. scripsit, Iohannem 68 post passionem Christi anno Epheſi mortuum, et iuxta eam urbem sepultum esse. conf. b. GERHARDVS, l. c. p. 2225. Quoad eius aetatem uero admodum uariant uetores, alios enim cum EPIPHANIO 90, alios 97, alios 98, alios 99, alios 104, alios 106, alios 120, aetatis annos ei adscripsisse docet b. FABRICIUS Tom. II, Codic. Apocr. p. 533, conf. p. 581.*

## Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι Σ

I Noli confundi, uel ideo de Scripturae sacrae ueritate dubitare, quod eius oracula sinistre saepe accipiant, interpretenturque falso, sed expende ipsorum uerba, quae dicta sunt, ac ueritas eluceſcet.

II Disce, quod nihil tam bene dicatur, quod non in sinistrum sensum trahi possit. Hinc ex altera parte caute loquere et recte concludere, ex altera uero parte hoc cape, quod interpretationibus uerborum non praepostere sit subscribendum, nisi ad examen eas reuocaueris, quae et quales sint, i Theſ. V, 21. Nam summi quoque uiri errant, Pf. LXII, 10. Conf. ad u. 21, Eu. Adu. IV, προσοικ. III

III Noli famae, nisi de ea certus, credere. Saepe enim ex uerbis non recte intellexis, uel ex ignorantia, uel ex simplicitate falsa in uulgus referuntur. Tardus igitur esto in loquendo et decernendo, tardus esto ad iram, Iac. I, 19, ne uel ueritati, uel proximo, iniuriam facias.

IV Disce, quod falsae explicationes Scripturae S. etiamſi a summis uiris, uel a piis hominibus, proficiſcantur, sint corrigendae, mansueti tamen spiritu.

## V E R S V S 2 4

Οὗτος ἐστὶν ὁ μαθητὴς ὁ μαρτυρῶν περὶ τούτων, καὶ γράφας ταῦτα, καὶ ἴδωμεν, ἔτι ἀληθὴς ἐστὶν ἡ μαρτυρία αὐτοῦ. *Hic est discipulus testificans de his, et scribens haec, et scimus, quod uerum sit testimonium eius.*

## Ε Ξ Η Γ Η Σ Ι Σ

Οὗτος ἐστὶν ὁ μαθητὴς, ὁ μαρτυρῶν περὶ τούτων, καὶ γράφας ταῦτα. *Hic Iohannes est discipulus, qui testatus est de his, et instinctu Spiritus S. Matth. X, 20, Act. II, 4, 2 Tim. III, 16, 2 Petr. I, 21, haec scripsit. Voluit itaque Θεόπνευστος historiae suae certitudinem ac ueritatem his uerbis comprobare, utpote qui rerum a Domino gestarum fuit testis ἀυτόπτης, 1 Io. I, 1, seqq. et a Spiritu S. in omnem ueritatem ductus, Io. XVI, 13, adeo, ut omnis erroris sint immunia, quae scripsit S. Iohannes, quemadmodum idem agnouit dudum AVGVSTINVS, lib. II, de consensu Euangel. c. 12, scribens, Θεόπνευστων mentes sic illuminauit, manus atque calamus in scribendo ita gubernauit Spiritus S. ut a ueritate tunc nulli aberrarint, a certitudine nunquam deslexerint, imo in scribendo hallucinari non potuerint. Cum uero de se ipso S. Iohannes in persona locutus fuerit tertia, et tanquam de alio, nemo hunc dicendi morem pro inusitato habeat, uel alium quendam loqui existimet. Siquidem in Sacris ipse Dominus, Matth. XVI, 13, Luc. IX, 26, Io. III, 13, seqq. cet. de se in persona tertia loquitur, item-*

D

que



que Paulus 2 Cor. XII, 2, seqq. in profanis autem idem de THUCYDIDE, HERODOTO, aliisque legimus, vid. loci in Not. N. T. ad h. l. et in Hierocrit. P. I, p. 60, §. 34, cit.

Καὶ ἴδαμεν, ἔτι ἀλλοῦ ἐστὶ ἡ μαρτυρία αὐτῶν. Et scimus. A singulari ad pluralem dum S. Iohannes orationem deflectit, non cum GROTIUS est statuerendum, acsi non Iohannes, sed Ecclesia Ephesina, hic loquatur, quemque AVRORES Synopses Biblioth. Exeger. in N. T. Slavickianae secutos esse videtur in verbis. Unde wir Apostel und die ganze gläubige Kirche, wissen, nach dem Zeugniß unsers Gewissens und des Heil. Geistes, 1 Jo. V, 6, daß sein Zeugniß, das Johannes schriftlich hinterlassen, wahrhaftig ist, c. XIX, 35. Nam ut nullo Grotiana opinio nititur fundamento, vid. b. CALOVIVS in Bibl. Ill. ad h. l. ita neminem haec numerorum mutatio, uel, quod de se in plurali locutus fuerit Iohannes, male habebit, qui expendit, eum hanc dicendi confuerudinem plus simpliciter uice in epistolis suis adhibuisse, vid. 1 Io. I, 1, seqq. coll. c. II, 1, V, 18, seqq. 3 Io. II, 9, 10, 12, cet. Sic Dominus Io. III, 11, 12, s. PAVLVS, 1 Cor. II, 1, 7, IX, 1, 5, 2 Cor. XI, 4, 17, Gal. I, 6, 8, seqq. itemque s. PETERVS 2 Ep. I, 16, 18, eandem adhibuerunt scribendi rationem, nec desunt exempla in profanis. Emphatice ergo et maioris certitudinis causa S. Iohannes, plurium instar testium, locutus uidetur, cum plurium nomine de se locutus fuerit, et scimus, quam certissime, qui Θεοπνευστίας gaudemus dono, et ex rebus sumus ἀποστόλων, quod uerum sit testimonium eius, qui ab ipso Domino ad testandum fuit constitutus, Luc. XXIV, 48, Act. I, 8, 21, 22, IV, 19, 20, V, 32, 1 Io. I, 1, seqq. et a Spiritu S. in omnem ueritatem ductus, Io. XVI, 13, cuius ductu et instinctu suum quoque testimonium perhibuit, Matth. X, 20, Act. II, 4. Hinc testimonii ueritas, quia non hominis, quod, dum fallere potest, non semper probat, sed Spiritus S. est.

## Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Σ Ι Σ

I Qui testimonium uult perhibere, de rei ueritate prius sit conuictus, quam testificatur, ne falsum det testimonium, Exod. XX, 16,

II Bene nobis, si de nostris quoque dictis ac factis enunciare possumus, quod cum ueritate conueniant. Hoc enim luculentissimum erit documentum, nos non a spiritu mendacii, Io. VIII, 44, sed a Spiritu ueritatis agitados filios esse Dei, Io. XIV, 16, 17, XV, 26, Rom. VIII, 14. Contendamus ergo ad ueritatem, ac iuxta eam incedamus, Ps. XV, 2, Prou. VIII, 7, XXIII, 23, Eph. IV, 25, VI, 14.

III Quae ex uerbo ueritatis Spiritus S. gratia nobis acquisiuitur, ea quidem alios edocere debemus, ut fructus faciant, Matth. XXV, 26, seqq. sine uana tamen gloria in Dei gloriam et salutem proximi, Ier. IX, 23, 24, 1 Cor. I, 31, IV, 7, X, 31, Phil. II, 3.

IV Homini quidem testimonia saepe fallunt, et a malitia sunt fuisse uentur, 1 Sam. XXI, 13, Matth. XXVI, 59, seqq. Spiritus S. uero testimonia sunt infallibilia et ipsa ueritas, Ps. CXXIX, 8, 6. 160, Dan. IV, 34, Io. XV, 26.

\* \* \*

ad B.




00 A 6450


12











Q. D. B. V  
DISSERTATIONEM  
PHILOLOGICO - EXEGETICAM  
DE  
**PRIMATV PETRI FICTO**  
EIVSQVE PARITER  
**AC S. IOHANNIS MORTE**  
A CHRISTO PRAEDICTA  
AD ILLUSTRANDVM IO. XXI, 15-24  
PRAESIDE  
**CHRISTIANO SIGISMVND**  
**GEORGIO**  
PHILOLOGIAE PROFESSORE PVBLICO  
AD DIEM IVLII A. O. R. CIO IO CCXLIII  
IN AVDITORIO MAIORI.  
DEFENDET  
**IO. FRIDERICVS GREIBZIGER**  
SS. THEOL. CVLTOR  
~~~~~  
VITEMBERGAE  
TYPIS, IO. FRIDER. SCHLOMACHI

